

accessit, ut et ingentibus ab eo cumularetur divitiis et in deliciis haberetur. Beatam ergo reliquam aetatem egit, modo Romae, vicissim Neapolitanis praesertim in villis, fundendis et perpoliendis carminibus occupatus. Condito carmine epico, ut id ad unguem perficeret, regiones, litora, maria, insulas, quae in Italiam tendentes peragraverant Troiani, suis oculis conspecturus iter sibi futurum letale in Graeciam et in Asiam fecit. Athenas cum venisset et in Augustum Asia decedentem incurrisset ab hoc invitatus maria repetivit. In navigatione morbo tentatus est, quo statim ac Brundisium appulit e vita decessit septingentesimo tricesimo quinto anno conditam post Urbem. Iusserat se Neapolitana in villa humari. In sepulcro — quod hodie quoque magna religione inter Iacobi Leopardi comitis tumulum, qui tristia hominum omnia carminibus deflevit, asservatur, et Iacobi Synceri Actii Sannazarii qui, partu Virginis laudato, Mergellinarum pisces et colonos celebravit — epitaphium inscriptum est. In radicibus Pausilypi collis vitibus, arboribus, herbis, dumetis virescentibus pluricoloribusque floribus luxuriantis atque vestiti, iacet sepulcrum; hinc Virgilius immortalitate donatus, sinum maris curvatum in arcum, undis caeruleis sub sole fulgentem, spectat Vesuviumque montem per noctes ignibus rubescentem ex cratere fluentibus; spectat et homines labore ac dolore defessos caelique serenitate exhilaratos, et, quos vivens amavit, miratur et amat; quod equidem adulescens sepulcrum visere solitus eram et epitaphium legere et ex eo poetam, ac si viveret, quasi mecum colloquentem et divina in perpetuum carmina voce ipsum sua canentem audire.

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.*

CL. Ex eius vita, quam multi scriptam esse a Donato putant, poetam «corpore et statura fuisse grandi, aquilino colore, facie rusticana», novimus at «valetudine varia, nam

Ap. Donat. in vita Virg. *plerumque a stomacho et a faucibus, ac dolore capitis laborabat; sanguinem etiam saepe reiecit*». Notitiae vero, quae de eius vita traduntur et carmina ipsa sua animo et candido et molli et tenero fuisse ostendunt, itaque ad virginalem quandam suavitatem ingenio proclivi, ut a Neapolitanis vocaretur *Parthenias*. In perenni autem aegritudine atque dolore versabatur nulla umquam hilaritate conditis, ac si perpetuo praeteritorum malorum recordatione teneretur. Hinc fiebat, ut et ab inani superbia atque iactatione vehementer abhorreret et, si quando Romae publicis adesset multitudinis conventibus, ab oculis spectantium se timide occultaret. His tamen animi sensibus inconditis quasi, eaque, qua erat, rudi corporis forma, singulare ingenii lumen et mentis celeritatem eam tegebat, quae mirificis ex carminibus spirant et in iis splendent. Carus et iucundus omnibus eius aetatis poetis fuit, Horatio vero carissimus, cuius in illum teneri amoris eximium documentum exstat, molle, praeter ipsius naturam, et delicatum propempticum illud carmen:

Sic te diva potens Cypri

*Horat. I.
Carm. 3.*

in quo Venus geminique fratres Helenae et ventorum pater rogantur, ut navi, per maria procellis agitata cursum tenenti, atque Virgilio, gravi in periculo versanti, praesentes propitii adsint, quoad eum, *dimidium animae suae*, finibus Atticis incolumem reddant atque servatum. Neque gratia aut notitia apud populum inlitteratum caruit. « *Testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum* ». In summam vero gloriam post mortem venit; quam ob causam Caligula, vecordi odio invidiaque in mortuum stulte inflammatus, e bibliothecis non eius imagines modo auferri iussit, sed et scripta eici ut nomen poetae et memoria una perirent. At male rei consuluit; nam in privatis civium aedibus maiore, quo antea honore, illa asservari

*Tac. de Orat.
13.*

consueverunt. Memoriae proditum Silium Italicum, poetam haud ignobilem, illius natalem diem faustum celebrare solitum eiusque sepulcrum pro sacro venerari; item eius imaginem in larario pie cum aliorum clarissimorum poetarum atque heroum imaginibus ab imperatore Alexandro Severo custodiri. Apud Christi quoque asseclas maximo semper in honore habitus est; ac si generis hominum Salvatorem nasciturum mox ecloga quarta ipse humanitate sua et religione atque pietate antevertisset et divinitus concitatus praesagiisset.

CLI. Virgilio — nam missa faciam nonnulla quorundam criticorum deliramenta — « *Bucolica* » « *Georgica* » « *Aeneis* » ut sua ascribuntur; « *Copa* » praeterea « *Ciris* » « *Culex* » « *Moretum* ». De carminibus, quae « *Priapea* » « *Aetna* » « *Dirae* » « *Lydia* » vel uno nomine « *Κατάλεκτα* » inscribuntur, sintne Virgilii revera, an ei falso addicantur, satis inter doctos viros disputatum est. Ea hodie nemo est qui, argumentis inspectis, a Virgilio non abiudicet. Ad genus igitur poetarum, qui lyrici dicuntur, carminibus iis proxime accedit Virgilius, quae ex variis hominum sententiis, ab aliis « *Bucolica* » ab aliis « *Eclogae* » inscribuntur. Etenim in iis, quamvis versu heroico composita sint, suos saepius privatos animi sensus effundere solet, aut etiam amicorum refert, quos novit. Hos tamen sensus — fieri enim solet id a poetis — pastoribus quibusdam attribuit, se amicosque ita sub eorum nominibus occultans, ut hi de se sane loqui videantur. Hanc ob causam a Theocrito Syracusano, celebratissimo huius poesis generis auctore, discedit, in quo cum res sit plana ipsa per se et manifesta, nihil fictum per verborum translationem occultatur et poeta verus et rudis est ipse inter pastores pastor. Quae autem a Virgilio in agrestibus carminibus altiora, vel vitae pastorum et moribus parum accommodata de aliis adumbrantur, ea profecto maiore dignitate, quam habent, placent magis; at rursus ipso rei artificio veritati non parum obstant. Etenim urbaniores animi sensus, quibus altius natura sua

Carmina bu-
colica

Theocriti
εἰδῶλτα cum
bucolicis con-
feruntur

pastores moventur, non civem tantummodo, caprinis tectum pellibus, in agris deprehendunt fortuito quasi versantem, sed ne exprimi quidem possunt nisi qua ipse utitur arte, quae non sine vitio expolitior illa est, quam genus carminum per se rude ac inconditum propriam et quasi germanam expostulat. Ceterum si hoc praetermittas vitium, quod leve certo est et laudibus emendatur aliis, omnia quae canuntur, iis animi sensibus perfunduntur, iisque verborum luminibus illustrantur et distinguuntur, ut, qui legat, vehementissime delectetur et suavitate quadam infinita afficiatur. Silvestri enim avena in silvis, in agris divinum modulans carmen, pastorum amores, curas, gaudia, cantus, otia in mentem nobis reducit, in quibus antiquorum hominum vita posita erat, eosque vividioribus artis coloribus, ceu tabulam bene pictam, non fucatis pigmentis depingit, ut prae oculis illos conspiciere veros canentesque audire putemus. Amantissimum agrorum, in carminibus, arborum, pecudum, agricolarum se praebet, et sensu doloris quodam commotum, velut si amoenitatem ruris nulla re alia usquam satiatus perpetuo desideret, vel pastoralis vitae innocentiam, tamquam si eam in perpetuum amiserit, exoptet et cupidissime exspectet.

CLII. Bucolica carmina decem sunt, in quorum aliis, dramatis ad formam, pastores inter se de suis disputantes rebus inducuntur, in aliis vero secum ipsi animo loquentes exhibentur. Hoc nomen indicat, nam *bucolicum* a Graeca voce cadit, quae idem ac bubulcus sonat. Istorum argumenta carminum, praeter primum, quartum, sextum, decimum, questibus aut certaminibus continentur. Queruntur enim pastores alii quod puella, quam quisque amat, vel a se procul absit, vel quod infidelis et minus in amore constans fuerit; alii carminibus ex improvviso fuis aut de poetarum laude aut de puellarum amore certant, alii aliis de rebus inter sese contendunt. In ecloga quinta pastores duo, Menalcas et Mopsus, Daphnim crudeli funere extinctum, cantu certatim

concelebrant. Hic non matris tantum, sed etiam Nympharum et animalium dolorem laudatione quadam funebri, quae miserationem et pietatem movet, poetarum in modum describit :

*Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant — vos coryli testes et flumina Nymphis —
Cum, complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

*Eclog. V. vers.
20-25.*

Post obitum eius terra insigni ornamento et lumine orbatur, tristissimis offunditur umbris, neque flores vividioribus coloribus pictos, neque laetas segetes fundit, neque fructus maturat amplius. Ubertas cum illo et copia ex agris aufugisse videtur: nam ille colendarum vitium rationem et trieterica orgia Baccho per urbes celebranda homines pius docuerat.

*Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.*

Vers. 32-19.

Menalcas vicissim delicatissimis versibus Daphnim ad astra post mortem elatum in deosque consecratum mirantemque orbem describit, in quem cum heroibus perpetuo habitaturus divina deorum in regna mirabundus rapitur et invehitur. En Menalcam rem miram altis e caelis contemplantem.

*Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.*

Vers. 56-17.

Eo inde mirante, infinito pacis gaudio omnia exsultant; divina quaedam voluptas Pana, Dryadas, pastores occupat, nec lupi insidias gregibus struunt, nec retia cervis. Montes silvis nemorosi incaeduis, rupes ipsae, saxa, cacumina voluptate correpta, magnis clamoribus editis admirationem edunt :

*Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta : « deus, deus ille, Menalca ! »
Sis bonus o felixque tuis ! en quattuor aras :
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.*

Vers. 63-67.

Qui autem sit Daphnis hic, cuius apotheosin canit Menalcas, ambiguum est. Nam alii putant pastorem illum Siculum esse in nemore laureo natum, qui carminis bucolici fuit auctor primus; alii contra illum Caesarem ipsum esse coniciunt, cui post mortem honores divini decreti sunt, cuius simulacrum in ludis Circensibus cum Veneris simulacro circumlatum est, cui ante aras opimae victimae etiam mactatae.

CLIII. In ecloga prima pastores duo Meliboeus et Tityrus inter se colloquentes inducuntur; istorum hic, nominibus mutatis, Virgilium celat, ille Mantuanos. Primus agello suo spoliatus, cum in tristem sit profecturus exilium, minus meliori Tityri sorti invidet, quam de fortuna sua vel de bonorum direptione suorum conqueritur vel exstenuatur :

*Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui musam meditaris avena :
Nos patriae fines et dulcia linqumus arva,
Nos patriam fugimus : tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.*

Vers. 5-5.

Tityrus contra beneficio a numine accepto laetatur — nam sibi uni in praedio manendi relicta facultas — ; at neque ob privilegium exsultat superbe, neque colonis miseris fugientibus irridet, ne aut sui ipsius nimis amans videatur, aut ceterorum

immemor agricolarum evadat. Istorum immo dolorem in se ita persentit ac si eodem ipsemet maceretur; similem se illis in rebus praesentibus invenit, nisi quod deus quidam pius — Octavianum grato indicat animo — sibi paterno in agello versari et bonis suis in urbe patria gaudere concesserit.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.

Namque erit ille mihi semper deus; illius aram

Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum

Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

Vers. 6-9.

Numeratione ipsa malorum, quam et mente et voce assidue repetit, vehementer utique Meliboeus movetur; en culta novalia, en agros arboribus consitos militibus relinquendos, en fugam initam et vitam peregre agendam!; in Octavianum invehi nefas; milites Meliboeus execratur; militibus barbaris, impiis pro crimine male precatur:

Impius haec tam culta novalia miles habebit,

Barbarus has segetes: en quo discordia civis

Produxit miseros, his nos consevimus agros!

Vers. 70-73.

Carmen, quod ex diversis dissimilibusque animorum sensibus distinguitur, communi humanitatis sensu concluditur. Tityrus enim illum in domum suam proficiscentem invitat, ut umbris cadentibus, dolorem, quem depellere nequeat, donis, pietate, hospitio aliquomodo levet. Duabus eclogis, quarta et octava, beneficiorum acceptorum memor, Asinium Pollionem, sibi laudandum proposuit. In altera enim nascentem huius filium ita concelebrat, ut quid in Cumanae Sybillae libris de futuris eventibus scriptum esset, id ad hunc potissimum referat:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas

Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;

Iam nova progenies caelo demittitur alto.

Vers. 4-7.

Post huius adventum mores hominum aureos sane futuros esse canit, quales fuere primis illis saeculis, cum heroes vivebant in terris, neque scelera neque odia polluerant omnia; hoc duce orbis terrarum gentes in perpetuum pacatum iri praedicit. In ecloga octava Pollionis ipsius virtutem laudibus cumulat, qui subactis domitisque Parthinis, perlustratisque gentibus, quae Illyricas oras incolunt, Romam triumphum acturus revertitur. In ecloga sexta ex philosophorum epicureorum doctrinis, Silenus senex inscios pueros, Chromin Mnasyllumque, primam rerum originem docet: per Silenum autem Sironem illum philosophum epicureum, quo ipse magistro usus erat, adumbrat, per Chromin se ipse ementitur, per Mnasyllum Alfenum Varum poetam designat. In postrema ecloga, quae decima est, sollicitos Cornelii solatur amores; nam ad hunc in Arcadium, quo in exilium quasi confugerat, postquam a Lycoride puella spretus fuerat, simulavit se cum amicis venisse, ut, remediis amoris adhibitis, eum ab indigno dolore levaret idemque in urbem relictam ab exilio reduceret. Exemplaria his in carminibus conficiendis Theocriti idyllia, quae dicuntur, sibi proposuit, qui primus genus hoc carminis vulgaris excoluit tantaque suavitate perfudit, ut ex hac parte poetarum princeps habeatur. Hoc genere Virgilius ita usus est, non ut pastorum imaginem et speciem exprimeret potius quam, quae in se ipse sentiret, ingenua pastorum simplicitate significaret.

CLVI. Ad agrorum culturam pertinet poema aureum illud libris quattuor constans, quod «*Georgica*» inscribitur. Specimen et quasi decus carminum eorum, quae Graece didascalica dicuntur, ex criticorum sententia in populorum omnium litteris poema hoc Virgilianum habetur; in Latinis litteris potissimum profecto est et perfectissimum opus et summo artificio limatum. Nihil id mihi mirum videtur; nam in hoc concinnando natura et ingenio suo, quod erat agrorum agricolarumque perstudiosum, indulsit poeta, idemque

Maecenatis voluntati pro viribus obsequi studuit, qui eum poema ea mente condere iusserat ut, auctore Augusto, pacis artes in orbe pacato vigerent, et cives Urbis frequentissimae a vitiis libidinibusque aetatis revocarentur et pro more et instituto maiorum ad agrorum colendorum studia iterum accirentur. Rem poematis pluribus ex fontibus Graecis et Romanis ad arbitrium suum ita desumit, ut suum aliquid et quasi ex se uno natum efficiat; quae autem depromit ea cum rerum usu confert, quem habet maximum, sub eundemque subdit. Ex Graecis Nicandro utitur auctore praecipuo, qui carmen suum « Γεωργικά » quod de re rustica est, eodem nomine inscripsit; ex minoribus Hesiodo, Xenophonte, Arato, qui de eadem re oratione soluta aut etiam numeris adstricta libros confecerant. Prae Graecis tamen Latinum Varronem potiorum fecit, qui in suis libris de re rustica agricolarum artem Romane pertractaverat omnem. In primo libro igitur multae et variae res continentur; nam proposito sibi totius carminis argumento, et Liberum et Cererem et ceteros deos precatur — quos inter Octaviano locum designat — ut sibi canenti praesentes propitiique adsint; deinde de multiplici agrorum colendorum ratione agit, tum de eius vetustissima origine, de rusticorum instrumentis, de operibus in singula anni tempora distribuendis, de tempestatum et prognosticis et signis; hinc, ut rem varietate levet, ad prodigia illa digreditur quae, ut fama ferebat, Caesaris obitum praeverterunt aut subsecuta sunt; hinc postremo ad rogationes deorum commode pergit, quibus ab iis precatur, ut sive incolumitati Octaviani sive populi Romani maiestati inter gentes consulant. In secundo res de arboribus est: docet enim qua arte illae serendae, quo modo producendae, quae sint earum species, quibus singulae opportunis locis feliciter proveniant; quae sit cuiusque soli caelique natura. A cuncto deinceps arborum genere ad vitis oleaeque colendarum artem progreditur, quae maximo agricolis usui sunt, praeceptisque de iis

III. Georg. 41.

*Liber primus
et secundus*

traditis, celebratissima vitae rusticae laudatione, in qua indoles sua et recordatio temporis acti resultat, librum concludit.

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolae ! quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.*

*Vers. 458 et
reliqui*

*Liber tertius
et quartus*

*Vers.
104-119 ;
349-383 ;
146-156 ;
209-295.*

CLV. De re pecuaria, quae agricolationem explet et quodammodo perficit, sermonem per librum tertium producit. In huius exordio est deorum invocatio, qui pecudibus praeesse credantur, cui, ut in primo, Octaviani Maecenatisque laudationes summas accedunt. De bobus subinde, de equis, de ovibus, de capris, de canibus gradatim praecipit multa : quibus pabulis alenda et reficienda, qua ratione a morborum vi medicamentis tuenda, quomodo a rebus, quae iis adversae sint, arceda, ne quid iis noceat; quae quidem praecepta, oblectationis causa, frequentissimis descriptionibus, quasi deverticulis, in toto libro diffusis variantur et illustrantur. Huiusmodi sunt loci, in quibus vel equestres cursus et hyems Scythica describuntur, vel de oestro, de tauris amantibus, de furiis amoris dicuntur nonnulla. In quarto demum libro Maecenatis laudibus repetitis, singulare melliferarum apum genus ad carminis finem miro studio summisque laudibus prosequitur. De comoda sede apibus quaerenda agit initio, tum de earum pabulis, pugnibus, examinibus loquitur; deinde duas earum species distinguit; denique earum prudentiam quasi civilem laudat, quae, operibus inter se opportune divisis, civitatem quasi bene ordinatam florentem et certis legibus adstrictam constituunt. Accedunt quaedam de melle tempore opportuno colligendo, alia de apum morbis eorumque remediis, alia de alvearibus explendis et reparandis, si aut fortuito aut aliquo morbo artificum numero destituantur. In postrema libri parte de apum origine fabulam narrat Aristaei pastoris, qui primus dicitur mellis usum homines docuisse; cui de Eurydices obitu Orpheique amore fabulam adnectit.

CLVI. His fabulis ceterisque poetarum adminiculis, rem suam satis levem tenuemque, quae soluta potius oratione pertractanda, et propter suam siccitatem a carminibus alienissima et quasi repugnans videbatur, ita Virgilius arte sua variavit, distinxit, illustravit, ut ex illa et pulcherrimum in litteris Latinis exprompserit poema et Hesiodum superaverit illum, cuius sanctos fontes Romanum se Romana per oppida arrogantius quasi ausum esse recludere censeret. Probatur ergo poema et re ipsa et orationis genere et artificio; de re rustica enim praecepta universa traduntur, ut nihil quasi praeter ea reliquum sit; quae et egregia per se sunt et in suum quaeque situm collocata; carminis partes sunt maxime inter se congruentes atque summo artificio in unum contextae. Ne autem ad unam usque praecipendi rationem delaberetur poesis, eam locorum varietate maxima exornavit, frequentissimisque deverticulis levavit, orationem autem clarissimis verborum luminibus et versu omnibus numeris pleno varioque, lucidam et splendidam, mollem et suavem, et quasi, ad rerum ipsarum sonum conformatam canoram, effecit.

*Artis opus et
elocutionis
virtutes*

II. Georg. 175.

CLVII. Genus poesis aliud coluit quod epicum dicitur, suffragante enim Augusto cunctoque populo expectante, Aeneidem composuit, quo quidem carmine ex Ovidii sententia

nullum Latio clarius exstat opus.

Huius poematis epici notissima omnibus fabula est, quam duodecim in libros Virgilius digessit, duabus simul partibus inter sese diversis apte et stricte intexta. In prioribus enim libris Aeneae casus, navigationes, itinera ab extremo Troiae excidio ad eius in Latium adventum narrantur; in posterioribus sex autem bella memorantur, quae Aeneas cum Italiae gentibus gessit. Eodem in poemate libris alteris Odysseam imitando expressit, alteris autem Iliadem. Partes duas tamen, quantum ad successionem temporum spectat, ita invertit, ut perpetuum illud quasi miserabile carmen, quod in referendis

*Ovid III. Art.
Amal. 338.*

Aeneis

*Colorem
duorum
Homericorum
poematum
Aeneis
simul com-
ponit.*

Aeneae casibus et erroribus peregrinationibusque confecerat, postquam diversa per maria iter bene successit, cantico triumphali integram poematis actionem concluderet. Hanc ob causam fit, ut qui totum ex ordine carmen volutet priores libros dum legit, incredibili doloris sensu teneatur, refrigeretur et exhilaretur in fine, ac si quis per opaca crepuscula huc illuc dubius incertusque fatorum numine iter faciens, post productionem quandam noctem tenebris offusam, primam solis orientis micantemque conspiciat lucem omnia mundo in universo collustrantis atque complentis.

*Liber primus
vers. 1.766.*

*Liber secundus
vers.
1 848.*

CLVIII. Aeneas igitur, Anchisae filius, postquam Troia e fundamentis eversa est flammisque correpta, septimo anno navigationis volvente, cum fati actus multa peragravisset maria, vix e conspectu Siculae telluris vela dabat in altum; tunc Saturnia Iuno, veterum iniuriarum memor, per Aeolum ventorum regem in Troianos tempestatem excitat, qua, navibus fractis, in ignota Africae litora Aeneas eicitur; hic intra moenia Carthaginis nondum exstructae a Didone urbis regina gratissimo excipitur hospitio. Cenatus, reginae eum audire cupienti, aeneas iucunditate cum dolore coniuncta, quae ex rerum gestarum recordatione adflatur, decennale bellum patrium memorat, quod sub Troiae moenibus alterno Marte cum Graecis fuit; Graecorum fraudem vituperat, ex qua urbis excidium. Narrat a se, cum res in summam desperationem venissent, in somniis Hectorem visum hortantem, ut statim cum Anchise, cum filio Ascanio, cum Creusa uxore, fugam arriperet, seque pro monitu illius aufugisse. Mox cum ad quaerendam uxorem, quam inter eundem amiserat, viam relegisset, ab eius umbra fugam mari parare iussum.

CLVIII. In tertio libro errorum narrationem, regina audiente, prosequitur. Classe viginti navium exstructa, in Thraciam se delatum esse ibique urbem condere instituisse narrat. Haec dum agit, novis quibusdam prodigiis territum, in medio opere urbe relicta, in insulam Delum de futuris rebus

Apollinis oraculum consulturum se contulisse a quo sibi responsum esse, ut « *antiquam matrem* » exquireret. Titanorum matrem Cretam insulam ratum, statim eo appulisse exaedificavisseque iam ibi urbem, cum a diis Penatibus, quos ex patria secum attulerat, Italiam Troianorum cunabula esse in somniis monitus est. Ex somnio inde profectum ventis adversis in Strophades venisse, insulas Harpyis monstruosis avibus atque obscenis infestas, quarum unam futura sibi fata concinisse. Mare inde repetito ad promuntorium Actium in litus ex navibus egressum esse, ut ibi ludos celebraret; indeque rursus cum discessisset, in Epiro Andromacham, quae Troiani Hectoris uxor fuerat, convenisse; quae cum Pyrrho rege illuc post Troiae fatale exitium confugerat. Ibi regnum ab Heleno rege ac vate sibi audivisse a diis in Italia paratum esse eo loco, ubi suam albam triginta foetus enixam invenisset, ab eoque, ut Scyllae Charibdisque pericula vitaret, monitum esse, ne Siculum fretum traiceret neve ad propinquas Italiae ripas appelleret. Quam ob causam, ancoris ex Epiro solutis, portuque Tarenti quod erat in conspectu relicto, insidias Charybdis ad laevas undas praetergressum, ad Aetnae montis litora navium cursum direxisse, ibique Achaemenidem socium Ulixis, supplicem in naves accepisse et ab eo multa de Cyclosum immanitate didicisse. Illinc, lectis Siciliae oris, quae ad meridiem vergunt, superatisque florentissimis urbibus, Drepani portum tandem tenuisse, ibique in illaetabilibus oris genitorem Anchisem amisisse. Inde digressum in altum cum tempestas magna orta esset, fluctibus abreptum ad Africae litus arenosum devenisse.

Liber tertius,
vers. 1-718.

CLX. In quarto libro, mutata rerum narrandarum ratione, quam per Aeneam suos referentem renovantemque casus instituerat, ipsum in mediam rem agentem inducit. Miserebilibus his rebus auditis, multam viri virtutem mirata Dido occulto amoris igne vehementer absumitur. Amorem Annae sorori tandem candide aperit, cuius consilio nuptiarum spem

Liber quartus
vers. 1-705.

animo concipit. Convenerat interea inter Iunonem Veneremque de nuptiis diversam ob causam inter illos conciliandis; prior heroem, ob veterem in eum invidiam, Italia arcere cupit; altera autem, dolis repertis, se Iovis uxori adnuere velle simulat. Res itaque ex dearum sententia fit mirum in modum: cum in montes venandi causa vir et regina venissent, tempestas Iunonis nutu caelo deicitur, ex qua in eandem speluncam cum et Dido et dux Troianus se recepissent, ridente Cytherea, coniugium perficitur. Rei fama volat, ad Iarbanque regem Gaetulorum defertur, qui Didonem in suis errantem finibus urbem condere siverat uxorem eam ducere posse ratus. Amaro hic rumore accensus, apud Iovem Ammonem, cuius filius erat, cui centum templa, centum aras latis in regnis posuerat, de Didonis fide multa conqueritur. Supplicem audit Omnipotens Aeneamque, statutis fatibus, per Mercurium in somniis iubet, Carthagine relicta, illico in Italiam navigare. Aeneas ergo, hoc monitu territus, socios clam fugam parare mandat; quod cum regina amans praesensisset, multis lacrimis precibusque virum precatur, ne parato in regno moribundam se perfidus deserat. Immobiles tamen fatibus suis actus, nihil precibus, nihil Didonis lacrimis ab inceptis distinetur Aeneas, gravissimoque quamquam dolore excruciat, prima diei luce orta, vela pandit in altum. Id e speculis furens conspicata regina, obcoecata dolore, cum in pyram, quam sibi paraverat, conscendisset, constantissimo pectore suapte manu atrocem sibi mortem gladio consciscit.

CLXL. Aeneas interim in altum progreditur, at, ventis contrariis obortis, iter in Siciliam deflectit. Ibi ab Aceste hospitio acceptus, anniversario die, quo patrem Anchisem condidit, ludis consuetis, pedestri ac navali cursu, cestuum pugna, sagittarum eiaculatione, decursu equestri, parentalia celebrat. Mulieres interea Troianae, quas navigationis erat pertaesum, naves incendio comburunt, ideoque Aeneas ex nautarum sententia et ex Anchisae monitu, qui ei dormienti

se in somniis obtulerat, urbem Acestam in Sicilia aedificat, in qua mulieres defessas senesque via confectos relinquit. Ab eodem Anchise impellitur, ut ex Sicilia statim praeceps digrediatur cursumque ad Sibyllam primum dirigat, cuius ope ad inferorum regna rerum futurarum seriem visurus descendere queat. Sicilia itaque proficiscitur, at dum cursus conficitur, quamvis per Venerem Neptunus placatus esset, Palinurus, navis gubernator, in puppi obdormiens, in mare excussus miserando moritur casu.

CLXII. Post navigationem in Cumarum litora egressus, nulla mora interposita, Sibyllae antrum petit, mactatisque Phoebæo in templo victimis, de futuris eventibus deque descensu suo ad inferos Sibyllam consulit. Haec bella, horrida bella, et Tyberim multo spumantem sanguine se cernere respondit; facilem esse descensum ad Avernum, attamen nulli illinc esse reditum datum, nisi fortibus, quos aequus Iuppiter amaverit, iisque nisi ramo aureo inventu perdifficili munitis. Deinde quomodo ramum mirum comparare possit, virum edocet. Addit tertio, exanime in litore demortui socii corpus insepultum iacere, quod nisi prius condiderit sepulcro, lucos ipsum Stygios vivum non aspecturum. Viam ergo ad amicos repetit Aeneas Misenumque in litora iacentem indigna morte peremptum videt, cuius dum pyrae extruendae causa arbores antiqua in silva caedit, ad eum columbae geminae Veneri sacrae advolant; has cum hac illac sequeretur, ad arborem auream deducitur. Ramum inde correptum in Sibyllae tecta portat; inde ad socios redit, ut cum iis Misenum supremis officiis prosequatur et tumulo condat. His rebus actis, horrendum in antrum revertitur nocturnisque sacrificiis deos inferos precatus, inania Ditis regna, Sibylla duce, per umbram ingreditur; cuius in vestibulo horrenda monstra conspiciunt; deinde in Acherontis ripis errantes hominum vita functorum umbras et Orontem et Palinurum vident, qui aditu ad Tartara petunt. In ipso flumine Charonta, umbrarum portitorem,

*Liber sextus,
vers. 1-901.*

cernunt, cuius iras rami aurei beneficio deliniunt, facileque postea ab eo cymba ad alteram ripam transvehuntur. Dum per limen ad animarum sedes transeunt, Cerberus canis trifauci gula latrans occurrit, cui offam melle soporatam obiciunt. Per varias inde mortuorum sedes progredientes infantium animas vident, tum vicissim viros falso crimine per arbitrium mortis damnatos, tum postea qui insontes manu sua sibi mortem consciverunt, tum etiam in myrtea silva et Phaedram, et Procin, et Eriphylen, quas durus amor crudeli tabe peremit, tum alias amantium animas perspiciunt. En Didonem reginam in his morte et amore pollentem; quam ut agnoscit maestissimis adloquitur precibus per superos iurans se de Africano litore invitum cecidisse; nec tamen eum audit Dido sed tristis se ex eius oculis proripit furibundaque in nemus umbriferum inimica refugit. Ultimam sedem denique lustrant, in qua bellatores fortissimique duces incolunt. Inter eos Deiphobum aliosque Troianos et Graecos omnes longo ordine cernens viros cognoscit. Hinc longius respiciens, moenia lata triplici circumdata muro cernit, in quibus impii suppliciis variis torquentur. At cum nefas sit Gigantum, Salmonei, Lapitharum, ceterorum scelestorum domos adire, itinere ad dexteram verso, ad Elysios campos deveniunt. Hic magnanimi heroes, nati melioribus annis, largiore aethere fruentes, solem et sidera norunt, pedibusque laeti choreas plaudunt et carmina dicunt; hic Assaracus, Ilus, hic Dardanus habitat; hic viri pro patria pugnant vulnere passi, hic sacerdotes, hic vates, hic, qui per artes vitam excoluerunt, laetantur. A Musaeo de loci incolarumque conditione edocentur ab eoque, iugo superato, ad Anchisen deducuntur. Hic effuso animo cum filio colloquitur, de animorum natura eum ex Pythagorae doctrinis certiore facit, resque praesagiens futuras clarissimorum quemque per aetates expedit, qui longo ordine ad Augustum ex eo nati sequentur. Inde eburnea somni porta remittuntur in lucem. Aeneas ad

suos contendit eosque iubet in naves conscendere. Solutis ancoris, cursus ad Caietae portum ventis secundis conficitur.

CLXIII. In hoc litore nutricem suam, Caietam nomine, tumulat, quae inter navigandum morti concesserat; hinc portus Caietam nomen ascivit. Funere celebrato, naves solvit Aeneas, Circaeumque montem praetergressus, quem infamis sibi Circe nymp̄ha sedem delegerat, ad ostia Tyberis, ventis repente remissis, fatalem in terram e navibus exit. Hospitio hic a Latino, Aboriginum rege, excipitur; huic, filia Lavinia nomine, erat, quam, contra oraculum, quod externo viro uxorem destinaverat, Amatae matris voluntate, Turno, Rutulorum regi, desponderat. Nihilominus Latinus, oraculi religione commotus, nuptias inter filiam et Aeneam conciliare conatur. Qua re Iuno, Troianis succensa, quod res bene ac feliciter eveniant, occasionem n̄acta, eorum exterminium meditatur. Evocat igitur ex Stygiis umbris Alecto; per hanc primum Amatam in Aeneam, deinde Turnum incendit, quem ita concitat, ut impellat ad arma. Troianis se immiscet Alecto, quae Ascanii canes premit, ut cervum praestanti forma, qui Thyrrhei pastoris regii filio in deliciis erat, ardentes in medium agant. Haec omnium malorum causa est; nam in eum spicula Ascanius dirigit; saucius in nota stabula cervus refugit. Tyrrheus ob hanc causam gravi dolore commotus agrestium agmina convocat in Troianosque furens urget. Omnibus bellum conclamantibus, Alecto in summum stabulum conscendit, arreptoque cornu, pastorale belli signum concinit; utrimque in aciem concurritur, fit proelium inter Troianos atque pastores Latinos; ex quo hi primi discedunt necatorum corpora duo ferentes, certatimque regis domum clamantes recingunt: arma omnes fremunt in primisque Turnus, qui adest; Latinus primo unus bellum petentibus obsistit, at, reseratis tandem ab ipsa Iunone geminis belli portis, rem fatis permittere cogitur. Bello igitur indicto, ad Turnum ex finitimis sociisque auxilia undique veniunt. Venulum

*Liber septimus, vers.
1-817.*

*Liber octavus, vers.
1-731.*

hic per legatum socium sibi in bello Diomedem asciscere conatur, qui propter suas cum Dauni filia nuptias Apuliae gentibus imperabat idemque ob iniurias a Venere acceptas Troianis infestissimus erat. Hoc eodem tempore Aeneas, ex monitu Tyberini fluminis, eodem consilio, ut auxilia requirat in Palatino monte Evandrum convenit, qui ibi ex Arcadia profugus ante Troianum bellum consederat. Hunc dies festos Herculis splendide celebrantem invenit, quibus sacris et ipse interest. Inter haec vetustam eorum originem, et multa de diis patriis ab ipso Evandro audit. Ante discessum ab eo iubetur, ut ad Tyrrhenos se conferat; ab his renuntiatum iri regem, si accesserit; pulso enim Mezentio tyranno, regem ex oraculo externum ab illis exquiri, qui Turnum auxilia ferentem armis repellat. Acceptis itaque subsidio equitibus quadrigentis, cum Pallante, Evandri filio, e monte descendit, remissaque parte altera equitum ad suos, ipse cum altera ad Tyrrhenos adire pergit. Venus interea, nequicquam novis exterrita rebus, eum in itinere, dum ad quaesitas gentes appropinquat, aethereis circumfusa nimbis adsequitur, ut subsidio ei arma ferat, quae iam Vulcano extruenda commiserat. In clypeo, qui ex caelato aere mira arte confectus est, rerum effigies earum conspicitur, quas Romanis agendas in posterum tempus fata destinant; insignis mirabilisque prae ceteris figuris insculptis triplicis Augusti triumphii imago in clypeo sub luce splendescens conspicitur.

CLXIV. Dum haec ab Aenea procul a Troianis fiunt, per Irim caelo demissam admonitus Turnus, Aeneae socios prae munimentis proelio lacessit, at cum Troiani ex ducis iussu pugnam detrectent, naves incendere statuit. Admotis ad eas flammis, ipsae per se e ripis in altum discedunt atque virgineas, mirabile monstrum!, vertuntur in Nymphas; ita enim Iovis promissum persolvitur. Hic enim Cybeli, deorum matri, naves illas immortales post navigationem futuras esse promiserat, quod ex tabulis Ideae silvae fatalis

essent exstructae. Nocte imminente excubias ad munimentorum portas collocat Aeneas atque ignibus frequentibus moenia collustrari in tenebris iubet. At interea cum Troiani de Aenea per nuntios arcessendo consilium cepissent, Nisus et Euryalus ultro hanc provinciam suscipiant atque, oppido egressi, hostes prae se agentes, magnam inter viam cladem edunt. Attamen dum spoliis necatorum onusti pergunt iter, inito cum Latinis obviis occurrentibus proelio, multitudine oppressi procumbunt, eorumque capita terrificandi causa hastis affixa Troianorum castris admoventur. Instaurata sub solis ortum oppugnatione, Ascanius, sagittam e muris emit, Numanum necat in Troianos ex prima acie indigna vociferantem. Qua re in spem meliorem Pandarus et Bitias fratres elati portam, quam custodiebant, recludunt. Fit statim per eam hostium concursus; Rutuli Turnusque in urbem irrumpunt. Huius impetu multi fortissimi Troianorum duces caeduntur; inter quos Bitias etiam occiditur. Quem cum iacentem Pandarus conspiciat, gravi ardet ira, portaque iterum versa, Turnum intra moenia concludit in eumque toto connitens robore hastam vibrat. Hanc venientem Saturnia Iuno, quae numine praesens est, ut vires animumque Rutulorum regi addat, in portam ex eo detorquet. Turnus contra demens, mediam Pandari frontem dividit atque, immanis tigris instar inter inertia pecora, saeviens hostium fugientium caedem facit. Re ita volvente, dies hic et bello et genti ultimus sit, ni Troiani ex metu ac pavore recepti, acriter Mnesteo eos hortante, catervatim in illum unum impetum faciant. Turnus pugnantium gladiis circumventus salutem fuga petit in Tyberimque flumen armis indutum se praecipitem saltu agens, ex undis ad suos integer enatat.

CLXV. His rebus Iuppiter graviter commotus deorum concilium vocat; frustra conatus Veneris Iunonisque discordiam componere, neutrius in partes se proclivorem futurum esse pollicetur fatisque unis, ex quibus omnia

*Liber decimus, vers.
1-908.*

succedant, eius belli eventum permissurum. Proelium in dies acrius redintegratur; hinc per vim oppugnantibus Latinis, illinc Troianis castra defendere non desinentibus. Haec inter Aeneas ex Etruria cum classe triginta navibus aucta copiisque auxiliaribus onusta ad suos proficiscitur. In cursu conficiendo Nymphae ex immutatis navibus natae, ovantes ei obviae occurrunt eumque de suorum discrimine certiorem faciunt; quo nuntio commotus, properat cursum et haud procul ab hostibus in terram milites exponit. Id Turnus eminus conspicit, cum armatis viam ad litus corripit, sperans impeditos facile terra depellere posse; at venientes, primo impetu propulsato, mox adversis hostibus mortem minitantibus occurrunt. Proelium per omnem aciem dilatatur; Aeneas, armis a Venere acceptis indutus, in pugnam progreditur; milites et Latinos duces catervatim interimit; et, cum Pallantem, qui ingentem militum occurrence cladem ediderat, a Turno singulari certamine interfectum esse audiat, ira correptus ad ulciscendum socium medias per turmas advolat gladio illum quaerens. Eadem de causa ex munimentis et Ascanius procurrit. Quae cum videt Iuno, Rutulorum regi timens, eum, quo modo periculo subducere possit, corde volutat. Simulatam Aeneae effigiem ei subicit, quam Turnus decéptus ad litora insequitur et in navem post illam conscendit; tum ventorum vis cooritur, retinacula navis funesque rumpuntur, navis cum Turno procul a pugna undis deducitur. Pugnae in Turni locum Mezentius, Agyllinae rex, succedit, qui ingenti strage, Lauso filio adiuvante, agmina Troianorum replet; quam Aeneas conspicatus, in Mezentium invadit Lausumque sese medium interponentem transfigit, subinde patrem saucium atque minitantem extrema humi projectum misere obruncat.

*Lib. undecimus, vers.
1-915.*

CLXVI. Postero die Aeneas, tumulum quercubus struit, cui spolia opima Mezentii imponit Martique tropaeum dicat, Pallantis mortui corpus apparatu pulcherrimo ad

Evandrum remittit. Dum haec apud Troianos fiunt, en in conspectu oratores a Latinorum civitatibus missi, capita ramis oleae multis velati, qui Aeneam per deos precantur: suorum corpora reddi iubeat, neve ea per nefas sepulcro carere patiatur. Iis iusta rogantibus Troianus dux assentitur, ideoque aliquot dierum indutias fieri permittit. Venulus interea, qui ad Diomedem auxiliorum petendorum causa missus fuerat, ad Latinos, re infecta, revertitur. Hanc ob causam Latinus rex animo deiectus de pace optimates sociosque in concilium vocat. Rex primus sententiam dicit; de pacis conditionibus, rebus ita afflictis, legatos ad Aeneam mittendos esse censet; tum loquitur Drances, qui cum Turno laudem invidet, regis prudentiam laudat, et Turnum belli auctorem potissimum, asperrimis verbis obtretrat. Hic contra pavido regi veterem Latinorum virtutem commemorat virginemque Camillam, robora ex Volscis ferentem, adventare enunciat, deinde erecto animo Drancis iniurias refellit; ceteri utique deficient, se unum in advenarum exercitus in Aeneamque ducem impetum facere velle. Dum haec in concilio disputantur, ex improvviso renuntiatur hostes properantes undique urbi adventare; equites Tyrrhenos catervatim per planitiem instare, ceteros, Aenea duce, per ardua montium loca imminere: quo nuntio Turnus ardens ex imbelli concilio ad arma se proripit. Urgente necessitate, duo agmina fieri iubet; alterum ex equitibus, Camilla Messapoque ducibus, contra Tyrrhenum equitatum mittit; alterum, duce se, in montium faucibus contra Aeneam per insidias collocat. Interim in superis deorum sedibus Diana, rerum omnium futurarum conscia, cum Camillam virginem sibi sacratam perituram esse noscat, ut indignam necem ulciscatur, ad mortem percussorem destinat. Hac de causa Opim moriturae subsidio in castra compellatam demittit. Laurenti moenibus adstant equitum acies, hinc inde concurritur, fitque iam ingens proelium. Medias inter caedes, laevo pectore ad Amazonum morem

nudato, huc illuc virgo pugnans exultat, at dum infinitum obsistentium haud ignobilium numerum humi prostrernit, eam incautam vibrata hasta excipit Aruns; sub exsertam papillam telum haeret. Virgo humi procumbit, ex vulnere telum sanguine purpureo perfusum trahit moriensque unam ex aequalibus fidissimam Accam ad Turnum mittit, quae ei virginem referat sciscitari ut pugnae impari ipse succedat, ut Troianos arceat urbe. Poenas sanguine suo pependit Aruns; nam eum audacis facti conscium, ceu lupum occiso pastore se in silvas abdentem, Opis telo corripit et necat. Turnus saevo nuntio furens e silvis egressus ad Laurentum accurrit. Eum Aeneas, colle superato, certamen initurus adurget priusquam, die labente, tenebrae lucem abducant.

CLXVII. Per noctem, Latinis ob accepta vulnera fractis atque pugna adversa remissis, intra Laurenti moenia Turnus regem rogat, ut sibi uni decertandi facultas per singulare certamen committatur. Attamen eum rex, futura mala praesagens, a nuptiarum spe cum Lavinia deterrere conatur, et a pugnae proposito revocare prudenter insistit: nihil aut regnis suis, aut Latinis gentibus affinitatem profuturam; ex oraculi religione, etiam si ex optatis tota veniat res, eam se censere omnibus perniciosam futuram; quod si ipse, fatorum nutu, in certamine occumbat, Rutulorum invidia fore, ut in unum se, qui eius rei copiam fecerit, concitetur. In quam regis sententiam, etsi Amata atque Lavinia eum lacrimis adurgeant, nihil adducitur; virgineum huius vultum cum videat roseo rubore suffusum, ingemit; ad Troianos de certamine petendo praeconem mittit, ipse tecta repetit, ira, dentibus frendens arma induit, equos petit, currum requirit. Aeneas pro omnibus lacessitus ad arma, condiciones accipit; per suae vitae discrimen bellum compositum iri summopere gaudet. At Saturnia Iuno, veteres Troianorum iniurias pectore in alto memorans, Iturnam, Turni sororem, quae stagnis fluminibusque nympa praesidet, dictis

*Libor duo-
decimus vers.
1-952*

compellat acerbis: periclitanti, si qua possit ratione, fratri subveniat. Luce prima orta, exercitibus utrimque spectantibus, Latinus rex, quadriugo curru invectus, et Turnus, albis in bigis erectus medium in campum procedunt; hinc Aeneas sidereo insignis clypeo caelestibusque armis refulgens, illinc movet Ascanius simul magnae spes altera Romae; ad aras setigerae suis fetum intonsamque bidentem litatum accedunt utrique. Primus Aeneas deos precatur, strictoque ferro se suosque iurat, si Turno victoria cesserit, relictis Laurenti agris, in Evandri urbem ituros neque armis Latinorum regna amplius lacessituros; sin autem pro ipsis bellipotens steterit Mavors, paribus legibus se gentes ambas invictas in foedera aeterna hac condicione missurum, ut ipse et deos et iura et religionem gentibus praescribat condatque insuper urbem, cui nomen Laviniam imponat; socero contra Latino arma, bella, foedera, pacem, cum sollempni rerum imperio, remittat. Haec eadem subinde Latinus, aras tangens, per deos testatur. Dum sacratis victimis litatur, Iuturna, Camerti formam simulata, per Latinorum agmina se in sermones insinuat; nefas pro talibus rebus unam discrimini obiectari animam. Inter haec prodigium fit: vident extemplo in aethere fulvum Iovis alitem, qui marinas volucres ad litora agitatur, qui subito lapsu demittitur, qui uncis pedibusque ad undas excellentem cycnum rapit, qui demum, praeda in flumen proiecta, in altum fugiens se nubibus occultat. Prodigium bene Latinis evenisse Tolumnius augur interpretatus telum in adversos hostes conicit; tumultus primum, mox, laxatis ordinibus, proelium ingens oritur. Aeneas dum, nudato capite, suos a proelio contra foederis religionem commisso revocare tendit, in umeris sagitta vulneratus, media ex acie excedere cogitur. Tum, repentino impetu Turnus correptus, celeri per agmina curru volans omnibus locis indignam Troianorum stragem facit. His interea rebus Venus graviter commota, dictamum ferens ex Ida monte decerptam, subsidio filio

occurrit, ut divina arte sanatum mediam in pugnam remittat, quem simul ac Iuturna redeuntem conspicit, ex fratris curru Methyscum aurigam excutit, huius speciem atque vocem simulans habenas arripit, huc illuc decurrit, si instanti fato fratrem subtrahere possit. Aeneas eminus conspicatus, telum immane quatiens, superbam per viarum deverticula caedem occurrentium edens cum adurget. Suos interea aciem relinquere et urbem acriter oppugnare iubet; fit Troianorum ad portas et Latinorum concursus. In rerum discrimine Amata, quae eius belli causa prima fuerat, Turnum in pugna morti occubuisse rata, sua manu ferox sibi vitam adimit; Turnus vero cognita tandem sorore, cuius consilio ab Aeneae armis procul arcebatur, ne urbs oppugnata in Troianorum potestatem veniat, curru desilit atque de victoria deque vita cum eorum duce decertaturus ad moenia urbis accurrit. Turni nomine audito, muros relinquit et gradum in hostem infert Aeneas; ab exercitibus pugna intermittitur; Troiani et Rutuli in adversos heroes haesitantes oculorum aciem intendunt. Primo congressu Turnus, cum gladium fregisset, quem per errorem a Methysco auriga ante proelium abstulerat, fuga viam per campos relegere contendit; at eum Troiani gladiis dstrictis retinent undique, quoad Aeneas, qui ob vulnus acceptum a cursu impeditur, ferro iterum adurget. Rursus in formam Methysci Iuturna se mutat, procurrensque fratri ensem reddit. Interea de bello finiendo Iovem inter Iunonemque his condicionibus convenit, ut, pace per coniugium firmata, gentes duae in unam civitatem coeant, ut, Troia cum nomine perempta, urbs nova condenda Latinum nomen habeat, et lingua moribusque Latinis utatur. Ex hac urbe, annis volventibus, Albani reges per saecula fient; ex hac propago Romana Italarum, quae pietate superet homines, superet divos, potentissima orietur. His ita inter deos pactis, statim e caelo Dirarum una, feralis noctuae figuram gerens, devolat, quae Turni circa clypeum alis everberans, tristia

eius leti omina canit. Quam ut primum infelix Iuturna soror agnoscit, unguibus ora foedans multaque gemens, in fluminis se undas immittit. Inter Aeneam Turnumque certamen instauratur; hic ingenti pondere saxum Troianum in ducem furens altior insurgens manu trepida intorquet; rursumque Aeneas morantem in eum fatale telum eminus vibrat et transfixo septemplici clypeo per loricae oras femur transfigit. Ictus in terram ingens incidit, Rutulorumque gemitus astra petit. Dubius haeret et anceps an hostem acerrimum morti donet Aeneas aut potius parcat subiecto; at ubi in eius umeris Pallantis balteum conspicit, furis accensus, hostem huic extemplo ut opimam hostiam immolat poenamque scelerato ex sanguine extremam rependit.

CLXVIII. Ex his, quae pro libellorum ratione nostrorum e singulis per summa capita decerpimus libris, vel quantum res ipsa tulit, enucleatim rettulimus, videre licet quam mirum poematis artificium sit, quam genere universo plenum et ex artis praeceptis in partes cunctas congruens, etsi non id perfectum neque perpolitum reliquerit auctor. Quinque enim in se partes complectitur, quas ex Aristotelea poetica huius poesis generis proprias esse veteres litterarum studiosi acerrimique critici credebant, videlicet actionem, fabulam, mores, sententiam, dictionem, quae critici novi, qui nunc sunt, in poematis ne respiciunt quidem, etiam si quando ea a poeta dedita opera conquisita esse videantur. Aeneidis actio cum tempore, tum loco ita una est, ut unius anni spatio expleatur, uno tantum loco, quod Latium est, maximam partem agatur. Nam licet ad octo circiter annos extendi videatur, cum res, quae primis quattuor annis factae sunt, ab Aenea Didoni audienti narrentur, cumque quasi actionis prooemium constituent, quae per tres annos, in itinere conficiendo, in reficiendis navibus, in anniversariis celebrandis in rogandis oraculis, Troiani perpessi sunt, uno concluduntur in extremo anno unoque Latio per bellum illud, quod canere

*Poematis
partes et
nexus*